



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXI. Gregorii Papae I. Ad Paschalem Demetianvm Et Castorivm  
Fratres. Reddit substantiam patris eorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

*Mense Februario, indictione undecima.*

EPISTOLA XXI.

GREGORII PAPÆ I.

AD PASCHALEM DEMETIANVM ET CASTORIVM  
FRATRES.

Reddit substantiam patris eorum.

*Gregorius Paschali, Demetiano, atque Castorio, filiis Urbici  
defensoris de Tiburtina.*

**O**FFICII nostri est orbatis ita parentibus ferre consultum, quatenus aliquid de his, quæ iuste debentur, ecclesiæ relaxantes, eorum possimus subuenire miseriis. Quia igitur facta subtilius ratione, patrem vestrum Vrbicum, quondam defensorem, de patrimonio Sabinensi atque Cardolano, quod eius fuerat curæ commissum, constat in non modicam summam debitorem fuisse defunctum: & quamuis tota eius substantia pro hoc sit ecclesiæ obligata, nec tamen ad satisfactionem eorum, quæ consumperat, possit sufficere, nos tamen tamen pietatis intuitu, eiusdem patris vestri substantiam vos habere ac possidere permittimus atque concedimus, vestris procul dubio vtilitatibus profuturam, securi quod nullus vos denuo de iis, quæ vobis relaxantes concessimus, aliqua ratione concuriat.

*Mense Martio, indictione undecima.*

EPISTOLA XXII.

GREGORII PAPÆ I.

AD ANTONINVM SVBDIACONVM.

De obitu Natalis episcopi, & de ordinatione  
episcopatus eius.

*Gregorius Antonino subdiacono rectori patrimonii  
in Dalmatia.*

**N**ATALEM Salonitanæ ecclesiæ fratrem & coepiscopum nostrum obiisse, discurrens in partibus istis fama vulgauit. Quod si verum est, experientia tua omni instantia omniq[ue] solicitudine clerum & populum eius